



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 45. Noaillius Cardinalis suam oppositionem excusare intentus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. sua auctoritate hunc reconciliationis
 A. C. 1726 modum promovere velit. Nec promif-
 sionis facilitati deerat fidei constantia;
 Hic enim a Rege jussus erat, ut Pon-
 tificem certiozem faceret, quod Rex
 hoc scriptum post factas in eo immu-
 tationes omnino ratum acceptumque
 haberet. Verum non ea erat Noailio
 sententia; cum enim ibi suos articulos
 nullatenus approbari, nec Pontificium
 Breve sperari posse deprehenderet, nisi
 prius Bullam sine ulla restrictione ac-
 ceptaret, hinc suæ formulæ, quam
 antea Romam miserat, pertinacius in-
 stitit, quamvis illam a Romana Curia,
 & Gallis Cardinalibus fuisse rejectam
 nosset.

§. XLV.

*Noaillius Cardinalis suam oppositio-
 nem excusare intentus.*

Jam firmum fixumque habuit Noail-
 lius Cardinalis, ut formulam Roma
 sibi transmissam penitus rejiceret, ne-
 quidem admittis, quæ addebantur,
 temperamentis: Verebatur tamen, ne
 suo adversus mitissima Pontificis &
 S. Congregationis consilia præfracto
 animo in plurimorum vituperationem
 veniret, eapropter edito palam scripto
 suam agendi rationem vindicare nite-
 batur,

batur, atque eandem ob causam has Sæc. XVIII.
ad Papam literas dabat. A. C. 1726.

Sanctissime Pater!

„Ergone, quem amas, deseris, &
„afflicto afflictionem addis? Pulsat,
„petit, & obtestatur, humillime sup-
„plicat Sanctitati vestræ per Jesu Christi
„misericordiam, ut tam ipsi, quam e-
„jus gregi sibi concredito necessariam
„exhibeas opem. Ergone de tua pie-
„tate nil sperandum? Promisisti auxi-
„lium, dummodo illud humiliter &
„modeste, sine contentione & asperi-
„tate peteretur: Id etiam me fecisse
„testantur omnes meæ literæ intra
„biennium datæ, has Sanctitas sua æ-
„quas habuit, & si eas rursus percur-
„rere dignabitur, censebit utique eas
„a contentionis & arrogantiae spiritu
„vel maxime alienas fuisse: Exposui
„insuper summo animi candore mala,
„quæ sine conscientiae remorsu diffi-
„mulare haud potui, nil eorum præ-
„termisi, quibus sincerum meum affe-
„ctum, & Sanctitati suæ satisfaciendi
„desiderium testatum redderem. Quæ
„a me Sanctitatis suæ nomine exige-
„bantur, nulla mora transmissi. & si-
„mul ea, quæ rerum vicissitudini, &
„animorum dispositioni minus conve-
„nire arbitrabar, necnon difficultates,
„quæ

Sæc. XVII
 A. C. 1726.

„quæ me terrerent, mox exposui, &
 „quidem eo fine, ut ingenuæ non mi-
 „nus ac expeditæ obedientiæ specimen
 „darem, eoque magis Sacerdotalis ac
 „paterna Pontificis charitas eluceret;
 „Nec id displicuit Sanctitati vestræ;
 „Utinam stylo ferreo, non vero imbe-
 „cilli meo calamo exarari possent San-
 „ctitatis vestræ verba amore vere pa-
 „terno plena, quibus ante omnium
 „oculos positum erat, quod fidelissime
 „ac sæpissime cuncta ejus jussa, imo
 „plus, quam jussus essem, executus
 „sim. Sed quam mercedem tam hu-
 „milis obedientia retulit? Liceat Viro
 „doloribus presso suam deplorare for-
 „tem: Parum abfuit, quin ab homi-
 „num classe excluderemur; amisimus
 „mercedem: moliti sunt nos di-
 „gnitate nostra exuere, & quidem eo
 „tempore, quo haud immerito omnia
 „sperare licuisset, novis procellis ob-
 „ruti sumus. Nihilominus Sanctitatis
 „vestræ pietatem implorare non ces-
 „sabo, etsi mihi non occurrat, quo-
 „modo paternum ejus cor emollire, &
 „ad calamitatis meæ miserationem
 „commovere valeam: Nil ultra dicam
 „de gregis mei lacrimis ac desolatione;
 „jam sæpius, nunquam tamen satis,
 „hæc exposui, veritus, ne aut me ex-
 „cusare, aut alios accusare videar:
 „fateri.

„fatendum tamen, maxime deploran-
 „dam esse nostram conditionem, vel
 „ideo, quia ipsam vulnerum nostrorum
 „acerbitatem detegere, non audemus,
 „& iis, quæ manifestamus, remedium
 „nec adeo promptum nec adeo potens,
 „uti necesse foret, præsto est. Totum,
 „quod vere dicere valeo, est, quod
 „nostra mala per ipsam moram graviora
 „fiant, & tandem eo deveniant, ut
 „ea nec amplius pati, nec remedia,
 „quæ adhibebuntur, sustinere poterim-
 „us. Dissipatus est Ecclesiæ grex,
 „palam in vectum est schisma; rupta
 „sunt sacrata Hierarchiæ vincula, Ec-
 „clesiæ Sacramenta pedibus concul-
 „cantur, absolutiones conferuntur a
 „Sacerdotibus omni jurisdictione de-
 „stitutis, & tandem evenit id omne,
 „quod non ita pridem prædixeram:
 „Porro Duodecim articulos ad Sancti-
 „tatem vestram transmisi: hos quoque
 „non modo ab erroris nota immunes,
 „sed & sanos, Orthodoxos esse, eos-
 „que præcipua doctrinæ Catholicæ ca-
 „pita continere, post serium ac matu-
 „rum examen, ipsamet Sanctitas vestra
 „censuit. Et tamen iidem articuli ceu
 „per Bullam damnati rejiciuntur, sub
 „prætextu, quod per authenticam San-
 „ctitatis vestræ declarationem nondum
 „fuerint approbati. Quo hæc tendant,

Sæc. XVIII.

A. C. 1726.

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

Q

„ne-

Sæc. XVIII. „notum est Tibi, Beatissime Pater,
 A. C. 1726. „mihi quoque haud incognitum est,
 „contra me solum hanc tempestatem
 „fuisse concitatam, quamvis neminem
 „læserim, minus vero seduxerim: Si
 „tamen propter me vel veritas Catho-
 „lica, vel Christi Domini Ecclesia ali-
 „quod damnum pateretur, mallet
 „potius mortem oppetere, imo
 „peroptarem, ut nequidem natus
 „fuissem. Attamen quicquid fe-
 „cero, aut quocunque me vertam,
 „semper tamen me ceu hæreticum vel
 „schismaticum proclamabunt; pro tali
 „enim me haberi, haud parum com-
 „modi affert turbidi genii hominibus,
 „Grates tamen Deo immortalis, quod li-
 „berum accessum invenerim apud Pat-
 „rem tenerrimum, qui compati dignatur
 „super contritione Joseph: Pollicitus
 „est, se usque ad mortem suo patro-
 „cinio & amicitia honoraturum dile-
 „ctum filium suum, & quamvis me in-
 „tegræ hostium phalanges circumda-
 „rent, nunquam tamen, cum sit Pater
 „pietate plenus, innocentis Filii op-
 „pressorem fore. Peream tamen sub
 „tuo Pontificatu, ita est, peream, etiam
 „Protector & defensor meus sis. Quid
 „enim juvat vivere, dum Ecclesia tur-
 „batur, ejusque doctrina, & sanctif-
 „simæ veritates periclitantur? Ah!
 „Sane

„Sanctissime Pater, si id mei amore Sæc. XVIII.
 „non facis, saltem ob urgentissimas has A. C. 1726.
 „rationes exurge; nec permitte, ut
 „apud Infideles quærat, ubi est Deus
 „vester? jam enim vix non dixeram,
 „ubi est D. Petri Cathedra? ubi man-
 „suetudo Christi? ubi viscera miseri-
 „cordiæ? Scio, quod me diligas, &
 „quod ames Ecclesiam: Id scio, & de
 „hoc certus sum. Eapropter per Christi
 „judicium & misericordiam eandem
 „charitatem imploro, & te obtestor,
 „ut nostri miserearis, nos adjuves, nec
 „permittas, ut suo successu careant
 „nostra vota; Constitutionem enim An-
 „no 1720. in vero & legitimo sensu, &
 „postea in eodem sensu & spiritu, quo
 „Sanctitas sua eam recipi vult, ac-
 „ceptavi, & sæpius declaravi, quod,
 „si in meis scriptis & præsertim in mea
 „Instructione Pastoralis quicquam San-
 „ctitati vestræ minus probatum reperia-
 „tur, illud ceu a mente & sententia
 „mea alienissimum rejiciam. Quid
 „ultra a me exigi queat, plane nec ego,
 „nec fors alii agnoscunt. . . . Non
 „jam de mea, sed de Ecclesiæ causa
 „agitur, hanc ut suæ tranquillitati re-
 „stituerem, omnes intendi nervos, &
 „si adhuc sunt, qui turbas concitant,
 „hos quoque omnes ad Sanctitatis ve-
 „stræ pedes reducere conabor. Atta-
 „men

Sæc. XVIII. „men, Sanctissime Pater, quamvis ex
A. C. 1726. „toto corde tuo pacem desideres, &
 „Regis Christianissimi Administer eam
 „pariter procuret, tuisque votis ad-
 „spiret. quamvis eadem pax unica sit
 „votorum meorum meta, & ego quic-
 „quid Sanctitas vestra a me exegit, fi-
 „delissime executus sim, nihilominus
 „hæc pax tot votis exoptata, & tam
 „facile recuperanda, nondum compa-
 „ret. Quid ergo causæ subest? Hanc
 „Sanctitas sua non ignorat, eamque
 „facile addiscere poterit, ab iisdem
 „met, qui tam aperte me insectantur,
 „& tam ore, quam calamo pacis con-
 „silia a Sanctitate vestra propolita e-
 „vertere certant. Ab his inquam, ad-
 „discere poterit, an ipsi aut quisquam
 „que alius vel unicum ex illis, qui
 „Constitutionem acceptare renuunt,
 „ad obsequium revocare possent, nisi
 „Sanctitas vestra Constitutionis ex-
 „plicationem toties & tam submis-
 „sitam concesserit. Ceterum, dum
 „animo coram Christi Domini Tribu-
 „nali jam prope consistam, quamvis ob
 „alia mea crimina contremiscam, id
 „tamen mihi solatio est, quod coram
 „Sanctitatis vestræ Tribunali, & juxta
 „conscientiæ meæ testimonium nil eo-
 „rum prætermiserim, quæ ad solidam
 „pacem Ecclesiæ procurandam, & ad
 „veri-

„veritatem ab erroris periculo eximen- Sæc. XVIII.
 „dam conferre poterant. Tuum est, A. C. 1726.
 „Sanctissime Pater, ad Divini Judicii
 „trutinam, & in conspectu Christi Do-
 „mini cuncta sedulo examinare, an
 „omnia, quæ præsentis Ecclesiæ ne-
 „cessitates deprecari videntur, pro vi-
 „ribus perfeceris &c.,

Cum autem in hac epistola rei ve-
 ritas haud parum depravata esset,
 Pontifex mærore affectus, & de Car-
 dinalis resipiscentia vix non desperans,
 omnia remedia adhibere statuit, ne
 exempli pravitas etiam obsequiosos,
 & adhuc in subiectione constantes per-
 turbaret, aut titubantes penitus cor-
 rumperet. Præprimis ergo die deci-
 ma sexta Septembris vulgari jussit,
relationem fidelem (*) omnium eorum,
 quæ hucusque tam a principio, quam
 in progressu ad reconciliandum Noail-
 lium, & promovendam Ecclesiæ pa-
 cem agitata fuissent: Dein rursus in de-
 liberationem vocari mandavit, quid de
 Noaillii instructione Pastoralis censen-
 dum esset: Complurium sententia eo
 abibat, in ea duas contineri hæreses,
 & quidem primam esse, quod haud
 obscure traderetur, centum Episcopos

Q 3

qui

(*) Hanc composuit Ill. Affideus Assessor
 S. Officii.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

qui Constitutionem acceptarunt eo ducti principio, quod Pontifex sit infallibilis, non majus auctoritatis pondus habere, quam solum Papam, proin juxta Noailium nequidem Concilium Generale ex Episcopis Papæ infallibilitatem propugnantibus compositum, in suis decisionibus fore infallibile. Alteram hæresin in eo latere autumabant, quod in profani Magistratus potestate sit, præpedire, ne hæc Constitutio vim decisionis Ecclesiasticæ haberet: Has hæreses in Noailii instructione tam aperte contineri, arbitrabatur Fabronius Cardinalis, ut illam æque ac olim morales Quesnelli reflexiones singulari Constitutione a Papa damnandam judicaret. Censebant alii, nullatenus explicationes esse concedendas, sed Noailium esse urgendum, ut Constitutionem sine ulla limitatione ac relatione acceptaret, edito desuper mandato, in quo tamen nullam præfationem in sui defensionem adderet, nec etiam Pontificis merita ac virtutes extolleret, sed Sedis Apostolicæ dignitatem duntaxat deprædicaret, ne Benedicti XIII. meritis ac clementiæ, non vero Sacræ Sedis auctoritati victas manus dedisse videatur. Plura alia fuere proposita, tum vero conclusum nihil.

§. XLVI.